

R.M.Ir. IV.

480

The image shows the front cover of a book. The cover is decorated with a dense, intricate pattern of wavy, interlocking lines in shades of blue, brown, and tan, creating a marbled or topographical effect. In the upper left corner, there is a small, rectangular white label with a decorative border. The label contains the text "R.M.Ir. IV." and the number "480" below it. The spine of the book, visible on the left edge, is a dark red color with a pebbled texture.

M. Törl. Qu.

583.

INSTRUCTIO

Statuum & Ordinum Regni Hungariae in modernâ eorum Congregatione

P E R

Celsissimum Principem partium
Regni Hungariae

D O M I N U M,

DN. EMERICUM
TECKELI,

In liberâ & Regia Civitate Cassovi-
ensi pro 11. Mensis Januarij anni currentis
indictâ præsentium Generoso Domino
Stephano Szirmai ad fulgidam Por-
tam Ottomannicam Ablegato
eorum Nuntio data.

M. DC. LXXXIII.



ACADEMIA
ONYVTARA



I.



T primò quidem eorsum deducto rerum Hun-
garicarum Gentisq; ejusdem olim florentissi-
mæ famigeratissimæque injuriâ temporum ad
ima terræ & ipsos pulveres prolapsæ convulsa-
rumque Statu, ut ex eorum terræ pulvere, Cœ-
lesti flectente corda Potentum, in cujus manu
sunt, Numine, per ipsos indefessosque conatus & labores ejus-
dem altius nominatæ Celsitudinis Principalis sub obtento Di-
plomatis Potentissimi Turcarum Imperatoris indultu seu
Athname eadem Gens reviviscere & reflorescere cernatur,
utque pro tanto ejusdem præfulgidæ Portæ erga Gentem hanc
præstito beneficio invictissima Turcarum Imperatoria Ma-
jestas non modò contentari sed & ejusdem gratia & benevo-
lencia ulteriùs etiam captari possit grata, denique extradat,
Athname apud Gentem hanc debitâ recognitione declarari
ac debitâ gratiarum actione nomine Statuum & Ordinum e-
jusdem totiusque Gentis hujus debitâ cum satisfactione apud
Eandem Portam deponi, Propterea etiam infra scriptorum
punctorum & Gravaminum genera ab annis Potentiæ Turci-
cæ Vicinorum nempe confinium in Gente hac indiscrimi-
natim exercita in optatum ordinem disponi & in salutem hu-
jus Gentis per jam fatam Portam accommodari valeant Sta-
tuum & Ordinum Regni Hungariæ supra declaratus Nuntius
habitâ cum suæ Celsitudinis Principalis legato mutuâ intelli-

gentiâ summos præfulgidæ Aulæ Imperatoriæ, quorum operâ, autoritate, consiliisque negotium Gentis utiliter promoveri posse animadverterit, Purpuratos humillimâ salutatione & benevolentiæ captatione præmissis debitâ cum reverentiâ convenire, & super iisdem genuinè & ad amissim informare studebit, tumque demum benè dispositis & infavorem Gentis allectis ante facis Purpuratis ab invictissimo Imperatore audientiam sibi impetrandam sollicitare noverit.

II.

Obtentâ audientiâ, ita nimirum, ut tempore obligationis honorariorû ubique se præsentem exhibeat, subjectissimâ humilitate invictissimum Imperatorem nomine Statuum & Ordinum Gentis Hungariæ pro dexteritate suâ salutabit. Impertitum Celsissime Principi ac Domino, Domino nostro gratiosissimo Gentique huic Athname non modo gratum, imò perquam gratissimum recognosceret, sed & pro eodem immortales gratias deponere, debitam Gentis devotionem perpetua cum fidelitate pro hoc tanto ejusdem Imperatoriæ Majestatis erga Gentem hanc declarato benevolentiæ argumento commendare; gratiam & Clementiam juxta Sacram Diplomaticam affecurationem perpetuis semper duraturam temporibus, Gentisque in suis veris & antiquis libertatibus in legibus Regni expressatis conservationem summo studio implorare tenebitur eritque obligatus.

III.

Subjectissimè supplicabit omnis Nobilitas tã hæten° dediticia, quã ne fors in loco similia condescensura, sicut & in Pagis, oppidis, Præfidiis, Arcibus & Civitatibus commorans, vel eò sese receptura ubicunque tandem & in quibusvis Regni Comitatibus liberam in bonis suis absque omni impedimento

Turca-

Turcarum non modò commorandi , sed ex unâ in Residentiam aliam, ex Pagis in Confinia, Civitates & Arces migrandi, inque signum hujusmodi suæ libertatis , nobilitatis ac Militarium erga Patriam suam impensorum & impendendorum servitiorum arma portandi habeant facultatem , ad nullas datias, Censuum, manuales labores, Decimarum administrationes , insolitas bisfargiales Taxas vel impositiones obligata & ab omnibus oneribus ex parte Turcarum, veluti etiam militum eorundem æque ac Hungarorum condescensionibus , indebitæ Hospitalitatis exactionibus , donariorum, armorum & aliorum similium extorsionibus aliisque damnificationibus immunis, nevé Nobilitas, Parochi & aliæ Ecclesiasticæ personæ in locis dedititiis commorantes pro datitiis & debitis rusticorum quoquo modo arrestantur vel abducantur, verbo, plenariâ nobilitatis prærogativâ ex parte etiam Turcarum perfrui & gaudere possit, Quod etiam de Episcopatibus, Præposituris, Abbatibus, Capitulis, Conventibus, Monasteriis, Claustris, Parochiis & scholis intellectum est.

IV.

Eadem Nobilitas ex parte Jobagionum suorum Turcis tributariis debitam iisdem dominandi ubique tam intra, cis & ultra Confinia , quàm etiam Rascia & aliis partibus ac locis Hungaris hætenus dedititiis & Tributariis jurisdictionem absque omni impedimento Turcarum habeant, Turcisque pariter Jobagiones iisdem Tributarios juxta Tractatum . . . Torokiensem assecurationem potentissimæ Imperatoriæ Majestatis Diplomaticam ad primum dedititionis eorum Censum reducere debeant. Insolita verò bisfargia mortuorum casibus fortuitis , interemptorum vel suffocatorum homagia ædificandorum vel restaurandorum Templo-

rum, Parochiarum, Scholarum, Turrium, appendendarum campanarum lytra, Portæ item seu impositiones ita intolerabiles, ut Pagos in deserta redigant, insolitas ex leguminibus, caulibus hortensibus, fructibus anseribus, Gallinis hisq; similibus decimarum exactiones, muliercularum Christianarum per spajas ad continuas alternatim impendendas servitutes & infantium lactationes cum primùm consuetæ adhibitiones penitus præscindantur &c. Metu denique seu limites congruè in meditullio unius erga adversum Turcicorum & Hungarorū Confiniorum, per certos utriusque Partis Commissarios demonstrandi Turcis & Hungaris ponantur, quos neutri Partium citra passum Generalium Capitaneorū, vel Vice-Comitum, ex parte verò Turcicâ Veziriorum Bassarum, Beyarum (aliis tamen petentibus associatis etiam si necessitas urserit Comitibus) reciproçè semper Hungarico Idiomate extradendum licitum esto, seu transcendere,

V.

Casu expeditionis bellicæ & aliarum quarumvis occasionum & prætextum temporibus villæ, Pagi & oppida dedititia non comburantur, misera plebs in diram captivitatem non adducatur, abducta verò sicuti & tempore præsidij Fileckien-sis ab reptæ plurimæ personæ ubilibet repertæ citra pensionē lytri protinus restituantur & dimittantur. Ulteriores excursionēs & earum occasione Pagorum & oppidorum Deditiones strictè interdican-tur, contravenientes Turcæ puniantur ab Anno 1663. & subsequenter usque in præsentem concomitantibus in Tributariam redacta servitutem oppida, pagi seu villæ liberentur, neque expeditione bellicâ insurgens in locis Tributariis commorans Nobilitas, sicui & donea ad arma rustica juventus propterea birsagijs oneretur, damnificetur, arrestetur

stetur & incarcerationetur, sed liberum sit pro necessitate expeditionis idoneis Nobilibus æque ac Rusticis reassumere & necessitate dictante deponere.

VI.

Illud etiam convenientissimum, non sese Turæ in rectificationibus metarum vel alias quascunque causas Juridicas, Jurisdictionemque, Magistratus Politici æque ac Ecclesiastici immittant, Latrones & alios malefactores per rusticam manum comprehensos non intercipient; sed eosdem ad manus Vice-Comitum ad infligendas iisdem demeritas pœnas deduci sinant & permittant. Officiales Comitatum signanter Vice-Comitem, Judices Nobilium & ordinarios Juratos Assessores ad colligendas datias sive census suos & Portus, ubi tractum est intolerabiles non adigant, sed & operâ judicum villarum, ut ante processus & executiones Juridicas Vice Comitû Judiciû non turbent, non impediunt eosdem in oculatis revisionibus, Attestationum exactiõibus, metarum erectionibus, diversimodis altercationibus, verbis duris & maledictis non aggravent, damnificent, tantominus arrestent vel incarcerationent.

Datum Cassoviæ 28. Januarij 1683.

(LS.) (LS.) (LS.) (LS.)

*Quatuor Status & Ordines Regnicolarum pro præscriptâ
eorum Congregatione Cassovia celebratâ præsentium.*

Conditiones Athnanæ literarum Af-
securatoriarum Turcici Imperatoris propria
manu scriptarum sigilloque munitarum
genti Hungaricæ elargitarum.

I.

Comes Emericus Teckely de Kezmarck Illustrissimus ex-
stirpe Gabrielis Bethlehem in Regem Hungariæ præfici-
tur, in cujus decessu à vivis casu consors ejusdem (cujus
nimirum parens propter fidelitatem erga Portam Ottoman-
nicam servatam extinctus est) unâ cum universis suis bonis in
Portam Ottomanicam recipitur conservanda.

II.

Post obitum Illustrissimi Comitissæ liberorumque, quem ma-
luerint Regem creare & eligere Hungari valeant, cujus electio-
nem & Portæ notificare debeant.

III.

Honorarium annale Turcis per Hungaros promissum &
oblatum nullo ævo augmentabitur.

III.

In omnibus libertatibus immunitatibusque & privilegijs
suis Hungarica gens intacta conservabitur.

V.

Contra universos hostes adversarios & inimicos suos Hun-
gari per Turcas defendentur & protegentur.

VI. Qui

VI.

Qui complexi fuerint fidelitatem Domini Comitis eos Turca nullo modo impedit, quin imò omnes refractarios subiget & continebit.

VII.

Sine nutu & præscitu Hungarorum Turca cum Germanis pacem inibit.

VIII.

Fortalitia omnia Turcarum viribus obtinenda eo quo obtinebuntur, in statu Hungaris tradentur.

IX.

Conditiones Pacis cum Germanis apud S. Gothardum quoad Hungaros Turca inviolabiliter tenebit.

X.

Jesuitæ publicæ quietis & boni turbatores eliminantur, in Hungariam amplius nunquam recipiendi, in eosque ac eorum fautores in portâ pro reconciliatione laborantes severâ poenâ irremissibiliter animadvertatur.

XI.

Locorum dedititiorum tributa non augmentabuntur servitiâq; horum hætenus Turcis & Hungaris præstita & impensa eo in statu permaneant.

XII.

Quæstores Hungari in totâ ditione Turcicâ liberum passum habeant.

XIII.

Ad promissum honorarium Portæ deferentes vel alicujus negotij causâ ad portam profecti devenientes honorifico modo excipiantur.

XIV.

Honorarium Hungarorum oblatum quotannis 40000.
Imperialium nunquam adaugeatur.

Verbo Imperiali jureque jurando se & Nationem Otto-
mannicam successoresque eorum ad promissa Univerſa & ſin-
gula (niſi forte ex parte Hungariorum Conventum fuerit)
Turcarum Imperator obſtrinxit & obligavit ſub fide Turca-
rum.





